

haud improsp̄eris initiis cœptum negotium, inter metum ac spem futuri exitus suspensa civitate. 1576

Verum incredibile dictū est, quantum brevi vis morbi increverit, publicaue salus pessum ire cœperit. Quatuor tantum dierum spatio per multas civitatis pattes, quæ antea intactæ fuerant, pestis pervagata, complures omnium ordinum familias lachrimis ac funeribus replevit. Nonnulli ex Patavinorum numero, inter quos alter e Jesu Societate sacerdos, extincti; jam, medicorum diffidia eventu sublata, pauci admodum de morbi vi naturaue amplius ambigebant. Patavini tamen, in præceptis rebus labentibus, aut propria existimatione aut obfirmata sententia ducti, cœptum munus persequuntur. Sed cum neque veritati refragari, neque morbi grassantis vi obsisti posset, exitu trepidi, ac pudore suffusi, scripto exhibito, quo & eorum in Rempublicam animi ardorem testabantur, quæque acta fuerant, excusabant, Reipublicæque fortunas vitamque devovebant, jubente Senatu, dimissi sunt; turpi discessu, adventus percelebri fama corrupta, cum non deessent qui in eos animadvertendum dicerent, quod, liberrimo illis ad ægrotos aditu patefacto, in immensum fere ægritudinum vis excrevisset. At vero in iis non voluntatem, non laborem, non diligentiam desiderari potuisse certum est. Sed quis humano consilio, & conatu Divinæ obviam ire potestati sibi suadeat? Sæviente igitur, atque in dies novo pabulo aucta pestilentia, quo majori studio, ac solitudine res administrarentur, Senatus consulto decretum est, ut, ad præfectos salutis aliqua in parte gravissima negotiorum mole levandos, in singulis civitatis regionibus, quæ numero sunt sex, triumviri sanitati curandæ præficerentur, qui supremo magistratui obtemperarent. Unicuique parœciæ (septuaginta vero duæ omnes numerantur) terni, unus e nobilitate, alter e civium ordine, tertius e plebe attributi, qui ægris necessaria suppeditarent, extra urbem devehendos curarent; suspectos domi coercerent; de singulis, regionis quisque suæ triumviros doceret; ab iis ad salutis præfectos, inde ad Principem ac Patres, quæ gravioris momenti erant, deferrentur. Hisce institutis quæ ad salutem publicam spectarent administrari cœpta.

Sed nullis terminis coercita lues, quacumque sævire, nulli

H. Mauroceni T. II.

R r 3

par-

*Pestifera
luis maxi-
mum in cre-
mentum.*

*Senatus re-
gionibus &
parœciis ci-
ves præficio
ad sanita-
tem procu-
randam.*